



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes De Actibus Humanis

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum & Græcensis, 1716

Reverendissimo Perillvstri, Ac Clarissimo Domino, Domino Joanni Jacobo Schilling. SS. Theologiæ Doctori, Protonotario Apostolico Civitatis Craiburgensis Parocho, [...]

urn:nbn:de:hbz:466:1-39981

REVERENDISSIMO
PERILLVSTRI,

AC

CLARISSIMO

DOMINO, DOMINO
JOANNI JACOBO
SCHILLING

SS. THEOLOGIÆ DOCTORI,
PROTONOTARIO APOSTOLICO CIVITATIS
CRAINBURGENSIS PAROCHO,

Nec non

Celsissimi, ac Reverendissimi Principis, &
Episcopi Labacensis in Spiritualibus

VICARIO GENERALI
DIGNISSIMO.

DOMINO, DOMINO,

AC

PATRONO COLENDISSIMO.



REVERENDISSIME
PERILLVSTRIS

^{AC}
CLARISSIME
DOMINE, DOMINE.



Inter officia Humanissimarum mentium, quæ Tibi Certatim jomnes impendunt; qui sincerissimè lætantur; amplissima Tua merita, Novo semper inaugurata Honore; ego unà omnes Tibi *Actus Humanos* exhibeo, ac defero. Præstantissimus, id ut faciam; me induxit titulus; quòd nempe videam in *Te ipso*, omnium justè agendorum, vivam Regulam,

D E D I C A T I O .

gulam, & normam quandam omnis *Rectæ Actionis*, in moribus Tuis exprimi. Ad quam qui *Actus suos* conformaverit; attinget facile apicem omnis perfectissimæ virtutis; audietque Pientissimus, Religiosissimus, Doctissimus, Zelantissimus; apprime Temperans, Munificus, Placidus, & Amabilis; tum quoc præclarissimum in omni laude est; simul erit Modestissimus, & in quosvis Humanus.

Quid verò, quod Tu exactiùs ea omnia exprimas, quæ perfectissima sunt. *Humanorum Actuum*; ac ego præfente hoc in libro eadem describam? num proinde me actum agere reputem, dum ea chartis infero, præloque subjicio, quæ Tu manifestiùs edis (de laudabilibus intelligo) spectatissimò exemplo? Scio quidem, quàm omnis *Tua Actio* sublimem se se intendat in finem, quàm impensè quodvis opus derives in DEUM, omnis boni principium: ob quod & *Actio Tua* quævis *Humana* & singulum opus *Bonum* dici dignissimum est. Scio, quàm in Te omnis sapientia excultissima, cum peritissima eruditione Juris, ac *Recti* vigeat. Quàm Tu severissima cum Litteratura Humaniores omnes Musas, ore, atque Ingenio ita contineas; ut & Clarissimus sacro-sanctæ Theologiæ Doctor *Perusinus*, & sacer, facundusque Orator, multiplici studio ac lingua, ea omnia agas, & loquaris, quæ recta, ac Justa; in DEI, ac Religionis cultum, publici boni commodum, & animarum salutem usurpanda veniunt. Ex quo rarum illud *Encomium* Tuo Honori accedit; quòd pro Te sapiùs certare Principes, & Populi; cum Patria alienæ *Diceceses*. Alij Te sibi

DEDICATIO.

adscifere; alij fervare; amare omnes, qui Tecum sunt; desiderare, qui absunt. An non pulchrum hoc, quòd Gemini Celsissimi Principes in Te unum, ita disparibus votis, convenerint; ut uter Alteri Te præripere, & quisque sibi exquisitis favoribus quasi mereri, contenderint? Sed reveritus es tam Sacros Præsules semper submissè: Honoribus non ~~inhabas~~ ^{inhabas}; nec avarè præstabas favores. Unde & tunc, & ferventer deinceps evenit; quod splendida etiam munia, & ambitu dignissima, in quæ destinatus; modestè deprecari; pro gratijs officia rependere; non jis *Te Ipsum* indulgere consueveris.

An non *Honestissimus* hic *Actus* est Excellentis virtutis; provocare alios meritis in sui cultum, & cultui se tamen subtrahere? si spectabiles alij ab illa, quâ eminent dignitate; commendatione certò in Te dignior est illa modestia, quâ exclusisti plures numerò dignitates. O quid non Honoris promeritus, & facillimè simul adipisci potuisses ab *Illo*; qui *Te* ita amavit, ut sine Lachrymis non dimitteret; nec antea, quam se *Ipsum*; & secum omnes collectim Honores.

Memini hìc ego Celsissimi, ac Reverendissimi Principis *Sigismundi* è Comitibus de *Herberstein*, olim *Æmonensis* Ecclesiæ Episcopi, *Pij*, ac *Sapientis*, cui in integros septem annos non solùm Sacrationibus ab officijs; sed & familiari ab usu, & Arcanioribus è Consilijs Consuetissimus; planè ad genium, & ingenium eras. *Hic Te* sapiùs Amicissima Compellatione suum *Joannem* dicere auditus. Constantè ut *Filium* diligere visus est. Sed cur tam impensè? quia candido

omnia

D E D I C A T I O.

omnia affectu à *Te* agi, solerti studio confici, & simul tranquillò animò, etiam gravissima, tractari, vigil in omnes *Tuos Actus* Arbitrè, advertit. Utinam (sic *Ille*; ubi desertà Aulà, Infulà, ac Dicecesi universà Celsissimus hic Princeps *Perusum*, Umbriæ Metropolim, ingressus; rarò admodùm exemplò *Oratorij Ordinis* solitudinem amplexurus) utinam ajebat (exundante in oculos limpidissimo affectu) *Te* suæ vitæ comitem, ac solatium, ad usque terminum servare posset! Fortè vel ideo; quod in *Tuis Actibus* jam antea expressum viderit, Religiosissimi viri cujusdam Etypon; ad quod Ille Sanctitatis amantissimus semper respiciebat, & sua in vita continebat consumatum. Quibus dein Verbis, & quo sensu *Te* supremum valere jusserit; dum dimisit *Ablegatum* in *Urbem*, ad informandum de Jure, statu, ac ritibus *Æmonensis* Ecclesiæ, suum successorem: quoniam arcana hæc sunt; *Tibi* soli notissima erunt, mihi non temerè recensenda.

Hæc qui viderint; nunquid inviderint hos *Tibi* Honores? sed, ut audio; gratulati omnes sunt impensius: suæque id gloriæ & commodo tribui credebant satis magno; quòd vel *Te*, amisso suo Præsule, receperint. Ibant dein vota post *Te* omnium; evocabant, invitabant, rogabantque; ut Crainburgensi in Civitate (quæ prima est post Metropolim in Patria) ballanti fidelium gregi Divus Pastor præires. Quòd ubi impetrare; gestire unanimi omnes lætitia, felices se palam dicere; & neminis unius alterius se tangi invidià apertè testati sunt.

Quam

D E D I C A T I O.

Quam hoc in munere omnis *Tua Actio* sancta, recta, & iusta, quam nullô fucô illita, nullô noëvo temerata fuerit, cominùs olim ipse vidi, possúmque testari, Te, dum ante 38. annos primæ Grammatices Clasi *Æmonæ* sub mea disciplina operam navares, Angelicam Spirásse modestiam, genium affabilem, indolémque instar teneræ ceræ ad omnigenam virtutis culturam recipiendam prætulisse, nunc verò eminùs ab jis intelligo, qui in exteras procul terras, Nomen, ac Famam Tuam, sine assentatione nuperrimè vulgarunt. Scilicet Te à Celsissimo, ac Reverendissimo Principe FRANCISCO CAROLO è Comitibus de Cauniz Labacensium Antistite in suum Vicarium Generalem, præ reliquis dilectum; assumptumque è Parœcia Crainburgensi, quam in quartum jam lustrum administrabas; & quidem prius, ac id ipsum peteres; & etiam postquam modestissime renueres. Tum enim singuli asseveranter hoc Tibi subscribunt Elogium: Te tanto Honore, & majoribus hóc, dignissimum esse: utpote, qui de Ecclesia, ac Principe optimè meritus; Integerrimi viri Ecclesiastici; Zelantissimi iuxta, ac Sapientissimi Pastoris Typus, & viva Idea es. Hæc, ut ut vulgo nota, popularia tamen neutiquam sunt, sed raræ Virtutis, & Meriti Actus.

Horum recordatione excitatus in me animus, illud suggessit Consilium; ut omnes *Actus Humanos*, quos studiosè in hunc librum congesi, Tibi exhibeam, ac deferam, eo fine; ut sacrentur tuo Nomine; informentur tuâ virtute; tuis laudibus cohonestentur. Erunt post me alij, qui fortè *Actus Tuos* describent contentiosius, perenni seculorum memoriæ servituros. Interea verò Cælum pro

tua

DEDICATIO.

tua laborat Gloria; quæque tu in terris indefesso Zelo, Pietate, ac
Industria tuâ egregie efficis; aureo stylo, & illo tuo ipso sanguine
(quem sapius ecclesiastes, unâ cum verbis; in ruborem impijs,
& pijs in Testimonium veritatis, quod de corde procedant,
effuderat) libro inferit felicis Æternitatis. Datum Græcij 24.
Februarij 1715.

Reverendissimæ, Perillustri ac
Clarissimæ Dominationi Tuæ.

Additissimus

SIMON KARCHNE S. J.

)) X

FA-